

tificatum an. 1012. adepto. Cum enim Romani Symbolum in Missa cantare non solerent, causati, non sibi, quibus fides nulla aliquando hæreseos labe infecta fuerit, sed illis necessarium esse illud Symbolum cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerint maculari: Dominus Imperator, ut Berno Augiensis L. de Ritibus ad missam pertinentibus c. 2. scribere pergit, non antea desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent.

411. *Observa.* Quod LEO III. postulatum Aquisgranensis Synodi utrumque abnuerit, amor custodiendæ antiquitatis, et studium servandæ cum Græca Ecclesia pacis fuerat; non autem abhorrentia animi, aut fidei a dogmate. Constat id ex Actis Collationis Legatorum cum Leone, quæ a Smaragdo Abbate seculo nono conscripta sic habent: *Lectis enim a prædictis missis per ordinem testimoniis de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, atque a Domino Apostolico diligenter auditis, ait: Ita sentio, ita teneo, cum his Auctoribus et sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo; et nisi conversus fuerit, et secundum hunc sensum tenere voluerit, contra sentientem funditus abjicio.* Quod NICOLAUS dein, ac BENEDICTUS aliud fecerint, non fuit variatio doctrinæ, aut neglectus constantiæ; sed indulgentiæ prudentia, et œconomia necessitas. Cum enim ex dictis eadem fuerit omnium Pontificum fides, abstinentia autem professionis a Symbolo non conciliaret Græcos, Latinos etiam irritare posset, ad notam, tum communitatis nimiam, tum pertinaciæ amovendam hoc medio uti oportuit. Quod denique Concilia generalia definiverint, particulam *Filioque* licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam, permiserint Græcis tamen Symbolum, ommissa ea additione, pro more suo antiquo recitare; horum primum vigilantia erat pro integritate fidei, alterum prudens amor concordie et unitatis: quam alibi scissam feliciter redintegrare, alibi integram perpetuo conservare in sua Ecclesia benignissime velit pacis auctor ac Deus, PATER, FILIUS et SPIRITUS SANCTUS. Amen.

## DE ANGELIS.

Actum hactenus de Deo, prout Unus est in Essentia, et Trinus in Personis; agendum nunc de Deo tanquam auctore creaturarum, quas inter Angeli ex genere suo perfectissimæ sunt. Tradit autem D. THOMAS in Parte 1<sup>a</sup>. Summæ Theol. multa de Angelorum Natura, Intellectu et Voluntate, de Gratia et Gloria bonorum, de Lapsu et Pœna malorum, a q. 50. ad 63. De Potentiis ad actus externos, de bonorum Custodia et malorum Infestatione, a q. 110. ad q. 115.

### CAPUT I.

#### DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

#### ARTICULUS I.

##### AN EXISTANT ANGELI?

1. *Nota I.* Angelus *vi nominis* idem sonat, ac missus vel nuntius: quippe cælestes spiritus sæpe mittuntur a Deo ad enuntianda vel Dei mandata vel mysteria; proin *officii* nomen est, non *naturæ*, S. AUG. teste (in Ps. 103. serm. 1. n. 13.). Inde est, quod etiam Sacerdotes verbi divini præcones, quin et Unigenitus Dei, in Scriptura *Angeli* appellantur. Porro nomen angeli *latius* ex Scripturæ ac Ecclesiæ usu accipitur pro omni et qualibet substantia spiritali completa, hominibus quidem superiore, Deo autem inferiore, quam Philosophi a sua principali operatione *Intelligentias*, alii *Dæmones*, sive *Genios* compellarunt, sive boni, sive mali essent. *Strictius* autem usurpatur pro solis angelicis spiritibus infimum ordinem constituentibus.

Angelus *secundum naturam* definitur, *Substantia creata completa et pure spiritalis*: τὸ *substantia* habet rationem generis, proximi quidem respectu Dei, remoti autem respectu animæ rationalis ac hominis: per τὸ *creata* differt angelus a Deo, qui est ens a se et increatum: per τὸ *completa* differt ab anima, quæ est pars hominis essentialiter incompleta: per τὸ *pure spiritalis* differt ab homine, qui ex corpore et anima componitur.

2. *Nota II.* Angelos *existere* negarunt 1<sup>o</sup>. nonnulli Veteres Philosophi.

2º. E Judæis *Sadducæi*, Act. 23. 8. — 3º. Seculo 16. *Quinctinus* et *Coppinus*, Libertinorum Duces, et hodie *Anabaptistæ*, quibus non datur nisi unicus spiritus, scilicet Deus; angelos vero et animas inter figmenta abjiciunt.

Quæritur 1º. An *Existentia angelorum* possit *probabiliter* suaderi? 2º. An ex sola ratione naturali *demonstrari*? 3º. An ex fide certa reddi? *Primum* facile omnes concedunt ob miras *Energumenorum* operationes. *Secundum* a Theologis communius negatur, quia demonstratio nec a priori, nec a posteriori afferri potest. Nos utraque hac quæstione, plurimam partem philosophica, prætermittimus, quid contra *SADDUCÆOS*, *LIBERTINOS* ET *ANABAPTISTAS* doceat fides, potissimum indagamus.

3. Dico. Existere Angelos fide certum est.

*Prob. I. Ex SCRIPTURA* Gen. 22. 11. *Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, etc.* Exod. 23. 20. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te... audi vocem ejus.* Tob. 12. 15. *Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Psalm. 8. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Matth. 18. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei;* ergo ex his et innumeris aliis textibus manifestum est, *existere* angelos tanquam *veras personas intelligentes*, quibus dicta et facta tribuuntur.

*II. Ex CONCILIO LATER. IV. sub INNOC. III. cap. Firmiter* (Lab. t. 11. part. 1. p. 142.): *Unum, inquit, universorum principium, Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*

*III. Ex UNANIMI CONSENSU SS. PATRUM.* Loco omnium sint *S. GREG. homil. 34. in Evang. n. 7. Esse angelos, inquit, pene omnes sacri Eloquii pagine testantur;* et *S. AUG. in Psal. 103. serm. 1. n. 15. Quamvis non videamus apparitionem angelorum... tamen esse angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Atque hinc Ecclesia SS. angelos ceu Dei ministros et hominum custodes, beatifica Dei visione fruentes, veneratur et invocat.

4. *Obj. I.* Moyses in descriptione creationis Universi initio *Genesis* nihil meminit de *creatione angelorum*; ergo angelos tunc non cognovit.

*R. T. A.* Quia *S. THOM. 1. p. q. 61. a. 1. ad 1. docet, angelos non omnino fuisse prætermittos, sed nominibus rerum corporalium, Cæli aut Lucis, significatos fuisse. N. C.* Nam quod *MOYSES* initio *Genesis* de creatione angelorum siluerit, factum est ob rationes varias a SS. Patribus allatas, nempe vel quia susceperat solum originem rerum corporearum describere, vel quia volebat ea duntaxat exprimere quæ erant facta in *obsequium hominum*, vel quia sibi fas putabat, apud Judæos carnalibus et sensibilibus inhiantes de *spiritualibus* tacere. Postea vero Moyses frequenter meminit angelorum, videlicet ut prius unum Deum affirmando, dein et *angelos ejus ministros* ac nuntios declarando, idololatriæ occasionem a Judæis in illam pronis removeret.

*Inst. 1.* Textus Scripturæ citati possunt intelligi de *divinis inspirationibus internis*, quibus velut *nuntiis* divina voluntas hominibus indicatur; ergo.

*R. N. A.* Ineptam hanc et violentam esse detorsionem, patet ex eo quod, quæ in Scriptura angelis tribuuntur, de *inspirationibus* intelligi nequeant, qualia sunt de angelis Abraham et Loth invisentibus, de Raphael chirographum in Rages deferente, angelis semper *faciem Patris videntibus* etc.

*Inst. 2.* Angelis nomen est *officii*, non *naturæ*; ergo in Scriptura per angelos non designantur substantiæ intellectuales *per se subsistentes*.

*R. N. C.* Scriptura ex dictis, uti et Patres tam *Græci*, quam *Latini*, *τὸ angelus* usurpant pro substantia spirituali, vocabulo *officii* ad *naturam* significandam translato; alioqui ex *Legali* vel *Oratoris* nomine pariter inferam, eum, qui hoc munere fungitur, non esse substantiam per se subsistentem.

*Inst. 3.* Si de fide est existere angelos; ergo etiam de fide erit existere angelos *talis naturæ*, qualem nos tribuimus, scilicet quod sint *substantiæ simplices completæ* et omnino *incorporeæ*.

*R. N. seq.* Sunt enim qui dicunt, ex Scriptura non patere, an *Spiritus* exprimat totam angeli naturam, an vero partem tantum; cum Scriptura soleat etiam *partem* ponere *pro toto*, ut fecit de homine, quem Gen. 6. 12. *carnem* dicit, et de filiis Jacob, quos Gen. 46. 26. *animas* vocat. Porro aiunt, CONCILIIUM LATER. nihil voluisse definire, quam Deum esse Creatorem omnium omnino creaturarum; reliqua autem non *animo definiendi*, sed ex occasione et juxta communioem *PATRUM sensum* addidisse.

5. *Obj. II.* Veteres Philosophi, Socrates, Plato, Aristoteles haud obscure pertractant de angelis; ergo non ex *sola fide*, sed ex *ratione* etiam *naturali* existentia illorum ostendi potest.

*R. D. C.* Ostendi potest probabiliter *C. Evidenter* et *demonstrative N. SS.* PP. JUSTINUS cont. Græc. Orat. n. 40. CLEMENS ALEX. Strom. L. 1. et 5. (Opp. p. 312. C. et 550. A. edit. Paris. 1629.) alique testantur, Gentiles illos Philosophos id ex SS. libris hausisse, quos sciendi percupidum avide legerant. V. BALTUS, *Défense des SS. Pères* L. 3. c. 15.

*Inst. 1.* *Ornatus et perfectio Universi* evidenter postulat ut existant angeli: quia alias Universum non esset perfectum, si non darentur uti substantiæ *pure corporeæ*, et *partim corporeæ, partim spirituales*, ita etiam substantiæ *creatæ pure spirituales*; ergo evidens est existere angelos.

*R. N. A. et Prob. D.* Universum non esset perfectum perfectione proportionata fini, quem Deus libere intendit *N.* Alia perfectione *C.* Cum Deus sit liberrimus in operationibus ad *extra*, quæcumque voluit fecit, fuissetque mundus sine angelis perfectus *formaliter*, id est, juxta ideam Dei; et ratio naturalis id solum dictare potest, quod Deus ad intentum finem semper agat perfectissime.

*Inst. 2.* Deus sine angelis non satis manifestaret *suas perfectiones*; ergo cum in omnibus necessario intendat gloriam suam, evidenter angeli existunt.

*R. N. A.* Sane si Deus omne illud producere deberet, quod ad augendam Universi perfectionem conducit, omnemque intendere gloriam *extrinsecam*, quam obtinere potest; necessaria etiam fuisset Incarnatio Verbi, neque hoc mundo perfectiorem condere potuisset. Certe sine angelis obtinuisset gloriam suam in gradu a se libere intento, ipse sibi sufficientissimus.

*Inst. 3.* Ea sane, quæ a *Magis* et *Energumenis* fieri experimur, evidenter

ostendunt angelorum existentiam. Opera enim eorum evidenter superant vires totius naturæ, et Deo salva infinita sanctitate sua tribui nequeunt; ergo.

R. N. A. Effectus illi mirabiles aut Deo immediate, si nullam inordinationem contineant, aut animabus a corpore separatis bonis vel malis tribui possunt, maxime cum animæ a mortali corpore solutæ plus possint in corpora, et proxime ad virtutem angelorum accedant. Adde, quod *speciali virtute* a Deo instrui possint. Denique falsum est quod eorum opera vires totius naturæ superent.

*Inst. 4.* Naturaliter constat *moveri cælos*, non a propria forma sive anima; ergo ab *Intelligentia*, quæ angelus est.

R. Non fert hodie Genios cælorum navarchos sanior Philosophia, quæ docet astra moveri a principio motus naturalis, uti aliis corporibus, ita et cælestibus a primo Motore inditi.

## ARTICULUS II.

A QUO, QUANDO ET UBI ANGELI SINT PRODUCTI?

6. *Nota.* Manichæi et Priscillianistæ docuerunt, angelos exstitisse ex substantia Dei: Platonici et Avicenna somnarunt, a Deo solam aliquam intelligentiam primam esse productam, ab hac secundam, et sic deinceps. Circa tempus creationis angelorum variant sententiæ. Auctores alii *ante*, alii *post*, alii *cum mundo visibili* creatos esse angelos decernunt. Magis dubius est locus creationis; siquidem nec clare sit revelatum, nec ab *Ecclesia* definitum, nec consensu SS. Patrum sancitum, productos esse angelos aut in *cælo empyreo*, aut in *alio inferiore*; hinc

7. *Dico I.* Angeli omnes sunt creati a Deo; est de fide.

*Prob. 1<sup>o</sup>.* Ex APOST. ad Coloss. 1. 16. *In ipso* (Christo) *condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive THRONI sive DOMINATIONES, sive PRINCIPATUS, sive POTESTATES.* 2<sup>o</sup>. Ex SYMB. NIC. *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* 3<sup>o</sup>. Ex CONCILIO LATER. IV. cap. *Firmiter* supra laudato.

8. *Dico II.* Angeli non sunt producti ab æterno, nec ante vel post, sed *cum mundo corporeo.*

*Prob. 1<sup>um</sup>.* Coloss. 1. 16. et 17 dicitur: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes.* *Conf.* ex cap. *Firmiter*; id tamen de fide esse negant Cajetan., Bannez, Sixtus Sen. et alii.

*Prob. 2<sup>um</sup>.* 1<sup>o</sup>. Ex Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram*, id est, juxta S. EPIPH. loco infra cit., S. AUG. de Civit. Dei, L. 11. c. 9. et alios, in principio temporis, vel antequam quidquam creasset: ubi sub nomine *cæli* comprehensos fuisse *angelos cæli* incolas, existimat Procopius, ne substantiæ increatæ viderentur, si eorum productionem Scriptura plane tacuisset. 2<sup>o</sup>. Ex verbis cap. *Firmiter*: *qui sua omnipotenti virtute. SIMUL AB INITIO TEMPORIS utramque de nihilo condidit creaturam.* 3<sup>o</sup>. Ex SS. PP. EPIPHAN. hæres. 63. n. 5. *Illud evidenter Divinus sermo declarat, neque post sidera*

*productos angelos, neque ante cælum terramque constitutos. Est enim certa illa et immutabilis sententia: ante cælum ac terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse: quoniam in principio creavit Deus cælum et terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.* Idem docent S. GREG. L. 28. Mor. c. 7. (al. 14. n. 34.). D. THOM. hic q. 61. a. 3. in 0. S. AUG. L. 11. de Civ. c. 9. Oppositum tamen dicit c. 32. posse defendi, quin aberretur a regula fidei. V. PETAV. de Angelis L. 1. c. 13.

*Si ais.* Multi PP. ORIG. hom. 1. in Gen. n. 2. et in Matth. t. 13. n. 27., BASIL. homil. 1. in Hexam. n. 5., GREG. NAZ. tum Or. 38. n. 9. et 10., tum Or. 43. n. 5. et 6., CHRYSOST. L. 1. ad Stagirium n. 2. (opp. t. 1. p. 138. A.), DAMASC. de fide Orthod. L. 2. c. 3. et alii docuerunt angelos ante mundum corporeum fuisse creatos.

R. Patres illi in hoc lapsi videntur: nam imprimis plures Patres sentiunt nobiscum, imo *Latini* omnes qui post S. AUG. scripserunt. Dein prævalet illis auctoritas C. LATER., quod aperte favet nostræ sententiæ, imo juxta multos eam definivit. Saltem post illud CONCILII sine nota temeritatis negari non potest assertio nostra.

9. *Dico III.* Angeli omnes creati sunt in cælo.

*Prob.* Luc. 10. 18. dicitur *dæmon cecidisse de cælo*: Apocal. 12. 7. *factum fuisse prælium magnum in cælo etc.*

*Conf.* Juxta D. THOMAM hic q. 61. a. 4. in 0. *Conveniens fuit, quod angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Utrum autem in *cælo empyreo* creati sint; alii negant, ex eo quod non decuerit beatorum sedem inquinari peccato et turbari prælio; minus etiam locus termini conveniret statui viatorum. Alii affirmant, eo quod cælum supremum primitus creatum fuerit: neque ob stare dicunt illud Isa. 4. v. 13. et 14. *In cælum conscendam..... ero similis Altissimo*, cum hæc verba solum metaphorice expriment superbiam Luciferi, ad litteram de rege *Babylonis* intelligenda: alioqui etiam v. 14. ibidem, *ascendam super altitudinem nubium*, probaret angelos infra nubes creatos fuisse. Verum, quia cum Scriptura quoque SS. Patres silent, supersedemus multa desuper altercari.

## ARTICULUS III.

AN SINT ANGELI OMNINO INCORPOREI?

10. *Nota.* SS. Patres *corporeum* aliquando sumunt *latius* pro omni eo, quod veram ac realem entitatem habet, uti S. AUG. ep. 28. (al. 166. n. 4.) ad HIER.; aliquando pro eo, quod loco determinatur finito, ac mutationi obnoxium est: utroque hoc sensu angelos dicere *corporeos* nil vetat. Corporeum autem *proprie et stricte* dicitur, quod habet molem, sive partes extra partes diversis loci partibus correspondentes; et de hoc est quæstio, ac duplex quidem, *prima*: An sint angeli *pure corporei*? *secunda*: An sint *ex parte corporei*, sive compositi ex corpore et ex spiritu? Quamvis autem nonnulli Patres *Platonem* secuti primum videantur asserere; tamen facile explicantur ad secundam sententiam, et gemina ratione convincuntur: 1<sup>o</sup>. Quia *pure corporeum* nec aliquid intelligere, nec velle potest. 2<sup>o</sup>. Quia